

eandem; Hæc tamen non est alia, quoad rem, à μεσότητι, sive mediocritate Peripateticorum; sicut temperamentum in Physica nihil est aliud, quàm quatuor primarum qualitatum rectitudo; tametsi utrobique diversitas sit in vocibus. Unde quod è Statu Christianismi hinc percipimus commodum, non in accessione novæ sententiæ, sed in Aristotelicæ clariori & certiori confirmatione collocamus.

TH. XI.

Majus lucrum hinc accipimus, si ad virtutes in specie progrediamur. Assumamus unam, quæ re nomineque magna est, Magnanimitatem. Sanè, quod in hæc describenda neglexerit *Aristoteles Nicomach. IV. 3.* si nimirum in Statu humanitatis subsistamus, non erit. Rectè tamen *Dn. Thomafius l. alleg. Tab. XX. in fine* monet, eam sic exponendam esse, ne cum Christianâ humilitate pugnet; respiciens dubio procul ad eundem Aristotelem, apud quem inveniuntur nonnulla, cum illo minùs convenientia; è quibus postremum non est, quando *d. l. Meminisse*, inquit, (magnanimi) videntur, quibus benefecerint: eorum autem, à quibus acceperint, minimè. Nam is qui accepit, minor est beneficium conferente; vult autem esse superior: Etiam illa jucundè audiunt, hæc molestè.

TH. XII.

Magnanimitate verò major adhuc est Virtus Heroica, quæ, sicut Statum humanitatis transcendere, nobis quædam conferre divinitatem videtur; ita è Statu Christianismi eò adcuratiùs cognosci potest, quò plenius de rebus divinis in hoc informamur. Patebit id clarissimè, si de natura Virtutis hujus pauca præfati fuerimus.

TH. XIII.

Certum nimirum est, Virtutem Heroicam & communem non essentiâ sed gradibus differre. Nec dubium est, perfectionem in Heroicâ majorem à speciali concursu divino, cum universali communis etiam Virtus gaudeat, principaliter pendere. Illam verò in quo Statu, humanitatis an Christianismi, perfectiùs cognoscimus? Responsione nostrâ non opus est, ubi de prærogativa hujus præ illo, hinc imprimis loco, consentiunt omnes. Sub initium tamen & finem actionum heroicarum vel maximè reperitur unum & alterum, quod uti ad eas potissimum requiritur, ita in Statu Christianismi clarissimè cognoscitur. Sub initium necesse est, à DEO conferri potentiam ad hujusmodi Virtutem tam recipiendam, quàm exercen-

cen-